



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Articulus IV. Qui possint esse Delegati?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

de offic. deleg. nu. 9. sed ly tollere mitius accipiendum est, pro suspendere; & quidem ad solum actum alteri specialiter commissum; dupliciter autem potest causa delegari, seu committi, requirendo industriam, seu fidem personæ delegatæ; in favorem partium (& hoc casu delegatus Principis, de consensu partium, eam causam potest alteri committere; quia possunt partes cedere favori sibi concessio, c. fin. q. is autem, h. t.) secundò propter utilitatem publicam; & tunc delegatus tenetur personaliter exequi; sic Pirhing h. t. nu. 10. q. quòd si verò: censetur autem requiri industria personæ, seu, quòd delegatus debeat ipse per se ipsum, & personaliter causam exequi, si rescriptum habeat clausulam: per te ipsam, vel, personaliter, vel confidimus de industria, & discretione, vel, prudentia tua &c.

2342.

Not. præterea delegatum, regulariter non posse subdelegare, ex c. cum causam, 42. de Appellat. ibi: cum non nisi delegatus à Principe alij valeat delegare; & L. 1. q. 1. & L. 3. ff. de offic. & potestate ejus, cui mandata est jurisdictio; dixi regulariter; excipitur enim primo delegatus Papæ, vel Principis, nisi delegatio requiratur industriam personæ ob utilitatem publicam; excipitur 2. ab aliquibus, subdelegatus à delegato Papæ, ut vult Abbas in c. cum Bertholdus de sent. & re judicata nu. 22. sed in hoc contrarium probabilius censet Zoësius hic n. 6. quia nullus delegatus, etiam Principis, potest subdelegare cum facultate subdelegandi; sic Barb. cit. nu. 8. Sanchez c. 3. matrim. D. 31. nu. 5. & 9. excipitur 3. delegatus constitutus cum potestate subdelegandi; sic Zoësius cit. num. 7. excipitur 4. delegatus ab inferiore ad causarum universitatem; quia talis habet idem Tribunal cum delegante; sic Zoësius cit. num. 8. sed hoc intellige, quando talis delegatus, ratione delegationis sibi factæ, censetur veluti officium ordinarium habere; non autem, quando tales sunt ex jure merè commissio, qualiter id habent confessarij Regulares, qui delegati sunt à Papa, jure solum commissio, in, & pro foro penitentia; sic Layman lib. 5. sum. tr. 6. c. 10. n. 14. quia ipsi non sunt ordinarij Pastores animarum; nec ex officio earum curam habent; sicut nec Cooperatores Parochorum.

ARTICULUS IV.

Qui possint esse Delegati?

Resp. ut quis possit esse iudex delegatus, requiri ex natura rei, ipsum esse idoneum ad id, pro quo delegatur; deinde non suspectum, c. cum super, 27. h. t. q. Verum, ibi: nisi mandati fines excedat, vel meritò sit suspectus; tertio non excommunicatum; cum talis non sit capax jurisdictionis; 4. non minorem 18. annis; licet ex partium consensu esse possit, si sit minor 18. c. h. tit. quo tamen consensu non indiget Papa, vel Princeps, L. quidam, 57. ff. de re judic. secus est de Delegato Papæ, vel Principis, ex c. cit. 41. ubi dicitur delegationem minori factam ab alio, quam à Principe, non tenere; Zoësius hic nu. 10. Ex quo colligitur, delegationem à Papa, vel Principe, minori annis 18. valere; non autem tali factam ab alio.

2343.

Si quæras, qui possint esse delegati Pontificij? R. nullum (secluso privilegio, vel jure speciali) nisi positum in dignitate, aut Ecclesiæ Cathedralis Canonicum, posse esse delegatum Apostolicæ Sedis, c. 11. de rescript. in 6. ubi Bonifacius VIII. sanctimus, inquit, ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ, autoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, de cetero committantur: nec audiantur alibi, quam in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit comodè copia peritorum haberi; quod verum est, licet sit Canonicus Regularis; ita Sanchez lib. 6. mor. c. 13. nu. 83. Delegatum autem Episcopi, vel alterius Papæ inferioris, posse esse etiam simplicem Clericum, modò aliunde sit idoneus; gloss. in c. statutum, h. t. V. Sedis Apostolicæ. V. quæ diximus supra nu. 1559. ubi plures de hac materia quæstiones à nobis resolutæ sunt.

2344.

ARTICULUS V.

Quæ causæ possint delegari?

Resp. quòd possit quælibet, quæ est subiecta jurisdictioni delegantis; L. unic. c. qui pro sua jurisdictione; excipiunt aliqui

2345.